

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0673

0671

0677

0667

0682

0662

0722

0622

0772

0572

0172

Ende

Anfang

100

locum et non ultra durat salvus conductus Truschelmanni de
Jerusalem ad sequentes articulos, quos nos cum ipsis et ipsi
nobiscum confecimus.

Primus articulus. Quod ipse dominus Sabathytanico, Cali-
nus major, permitteret nobis, quod salvos nos ducere dispon-
eret ab hinc usque in Egyptum per loca praefata, et quod ipse in
propria persona suis expensis et sumtibus nos comitari debe-
ret a Jerusalem usque in Gazaram. Et hoc fide data promisit.

Secundus. Quod de thelonieis sive vectigalibus et exac-
tionibus praestandis ab Jerusalem usque Gazaram ipse pro
nobis de suis satisfaceret sumtibus et pecuniis. Et hoc
exegimus ab eo, quia scivimus, nos nimis alias per Sarracenos
gravari per illam viam.

Tertius. Quod unicuique peregrino pro equitatu asinum
disponeret cum ductoribus eorumdem, qui ductores mucreri
nominantur, et quod idem asinarii nostri essent Christiani, et
ab hinc usque ad Mathaream Egypti nos ducerent et servi-
rent, et asinis et sibi ipsis in victualibus provisionem facerent,
nisi forte sponte propria peregrini eis quippiam ministrarent.

(219 A) Quarto, quod omnes res nostras, puta vesti-
menta et cibaria, suis expensis deferri facerent a Jerusalem,
et ad saepe dictam Gazaram, excepto solo vino, quod ipsi nos
nostris sumtibus nobiscum ducebamus.

Quinto, quod in Gazara nobis provideret ipsius expensis
de camelis, qui omnes res nostras portarent usque ad montem
Synai et inde in Egyptum ad Mathaream, et hospitium
honestum et competens in Gaza disposeret.

Sexto, quod nobis unum de suis familiaribus deputaret,
qui nos loco sui comitaretur a Gaza usque ad Chayrum
Egypti. Et petivimus, ut mitteret nobiscum Elphalhallo, qui
dicitur Calinus minor, qui saepe numero, ut patebit, cum pere-
grinis per desertum profectus [erat], eique teneremur facere
provisionem de cibo ex annona nostra.

Septimo, quod cuiilibet peregrinorum utrem unum disposeret
pro aqua devehenda per desertum, nam ad plures saepe dies
nusquam aqua in via illa reperitur.

Octavo, quod concederent nobis licentiam comparandi
vina in Jerusalem a Christianis orientalibus, et quod in camelis

